



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Legatis, De Successionibus Ab Intestato, De Renvnciationibus

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. XXIV. Forolivien. successonis. De Statuto Forolivien. deferente successionem filiorum patri in exclusionem sororum, an suffragetur patri binubo; Vel potiùs intelligi debeat juxtà dispositionem ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74076](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74076)

ideoque (reflectendo ad solam veritatem) resolutiones iusta, beneque fundatae videntur, quoniam hoc Statutum duas habet partes; Unam nempe in linea descendiva, seu directa; Et alteram in transversali; In prima indefinite disponit, atque propter masculos omnes feminas, & quoscumque per eas descendentes excludit, nulla data gradus restrictione, vel discretionem; In altera vero se continet intra fratres, eorumque filios masculos excludentes matrem, ac sorores, & descendentes ab eis, quos gradus non egreditur, unde propterea planum remanet, ut in omni iniret dispositio iuris communis, potissime vero ubi non urgeat identitas, vel maioritas rationis, cum longa differentia sit inter lineam directam, & transversalem; Et nihilominus attenda magis communi opinione, quam Rota sequitur, etiam in casu identitatis, vel maioritatis rationis, non admittitur extensio ultra personas, vel gradus expressos ex pluries insinuatibus praesertim in *Fanen. disc. 15.*

Scribentes pro agnatis reis conventis transcribendo deductam magistrati *decis. 33. par. 3. rec.* sapienter in alijs canonizata, cum longa allegationum congerie, insistebant in propositione minimi gradus, ut huiusmodi Statuta agnationis favore edita, censi debeant potius favorabilia, quam odiosa, ideoque largè, ac benigne potius, quam strictè, ac rigore interpretari debeant.

Admittebam ego propositionem, quam negare, nec poteram, nec volebam, utpotè à me sapienter inculcatam, ac declamatam; Dicebam tamen fallaciam esse in applicatione, illa enim ad duplicem effectum rectè procedit; Primò scilicet ad illum validitatis Statuti cum sola confirmatione in forma communi, vel cum sola confirmatione praesumpta ob longissimi temporis observantiam, quae in forma communi tantum reputatur, ad effectum ut desideranda non veniat illa confirmatio in forma specifica, quae necessaria est in Statutis, verè à iure exorbitantibus, quae odiosa censenda sunt.

Et secundò ad alterum effectum interpretationis, quando ista cadat, in casu scilicet ambiguo, ac etiam ad illi intentionis, seu comprehensionis iuxta casum, de quo in *dicta Fanen. disc. 15.*, non autem ad effectum omnino novae, ac formalis extensionis, cum apud omnes extrà controversiam sit, ut ista non deat eodem modo, quo in ultimis quoque voluntatibus receptum est ex pluries deductis *sub tit. de fideicommissis*; Potissime vero ubi non urgeat rationis identitas, seu aequitas, sed potius ista etiam attenda communis usus resistat, ut in presenti, quod isti agnati erant in gradu adeo remoto, quod tanquam cum extraneis matrimonium in ijs praesentium, qui in nono gradu praesupponerantur, contrahi potuissent, adeo ut singulare in Italia videatur Statutum Florentinum, de quo supra *disc. 8.* quod iuxta novas reformationes praefert agnatos usque ad octavum gradum, sororibus, ac descendentibus ex eis.

## FOROLIVIEN.

BONORUM  
PRO  
FRANCISCA SAXIA  
CUM  
ANTONIA SORORE.

Casu disputatus coram A. C. resolutus pro  
Francisca.

De Statuto Forolivien, deferente successionem filiorum patri in exclusionem sororum, an suffragetur patri binubo; Vel potius intelligi debeat iuxta dispositionem iuris, ut moriens, proprietatem filijs primi matrimonij quamvis foeminis, reservare teneatur, Et incidenter de altero Statuto continuativo possessionis in haeredem:

Et an filij censentur veri proprietarij ab initio,

## S Y M M A R I V M.

- 1 *Facti series.*
- 2 *Proprietario finito usufructu debetur manutentio, & de ratione.*
- 3 *Statutum continuativum suffragatur venienti contra iudicium defuncti.*
- 4 *Declaratio conclusio de quantum. 2.*
- 5 *De eodem Statuto de quo num. 3.*
- 6 *Quod parens binubus non dicatur simplex usufructuarius.*
- 7 *In idem, & de rationibus id comprobantibus.*
- 8 *An Statutum deferens successionem parenti binubo intelligendum veniat ad limites text. in l. foemina.*
- 9 *De hoc Statuto Forolivij, ejusque dispositione & intelligentia.*
- 10 *De differentia inter patrem, & matrem ex eodem Statuto.*

## DISCURSUS XXIV.

Defuncto Carolo Saxio, duabus superstitibus filiabus, Antonia scilicet ex prima, & Francisca ex secunda uxore, cum secundam filiam haeredem universalem instituisset, primam vero ab ipso vivente, nupta, & dotata quaedam bona reliquisset; Hinc ista praetensionem excitavit super praecipua, & necessaria successione in bonis eius matris obventis in patrem per mortem alterius filiae ex Statuto Forolivien *lib. 5. Rubrica 32.* deferente filiorum successionem patri, vel alteri descendenti masculo, quia nempe illud non tolleret dispositionem textus in *l. foemina Cod. de 2. nupt.* ut bona in parentem binubum obventa ex successione filiorum primi matrimonij, sint praecipua filiorum ejusdem matrimonij absque participatione illorum secundi; Cumque in hac Civitate vigeat alterum Statutum continuativum possessionis defuncti in haeredem, insinuatum etiam *sub tit. de haerede disc. 26.*; Hinc dicta Antonia instituit coram A. C. iudicium manutentionis, quae tamen decreta fuit Franciscae pro se alleganti eamdem statutariam civilissimam possessionem, ac etiam naturalem, quam de facto habebat, idque canonizatum fuit per Signaturam Justitiae, rescribendo de appellatione cum clausula *sine praesudicio executionis*, commissa causa in devolutivo in Rota, ubi pendet; Atque in disputationibus desuper habitis, duae fuerunt inspectiones; Una ordinis, super manutentione hinc inde petita; Et altera justitiae in meritis negotij principalis.

Quatenus pertinet ad primam; Per utranque partem deducebatur idem Statutum continuativum possessionis defuncti in haeredem, unde quaestio erat cui esset adaptabile; Dicebant etenim Scribentes pro Antonia actrice, cum praesupposito quod intraret dicta dispositio dicti textus in *l. foemina.*

*foris in re*, quod cum parens binubus succedat in solo usufructu, reservata filiis primi matrimonij proprietate, ita ab ipso instanti mortis aliterius filiae, illa portio, de qua erat controversia, delata fuit ipsi aeterni, ac propterea in vim dicti Statuti, ex tunc, mortua sorore, etiam patre vivente, possessionem habuerat proprietatis, quae defuncto usufructuario tanquam ex cessata servitute, iure consolidationis, ac per remotionem obstaculi, ad se trahit usufructum, ideoque manentio ei competeret juxta firmata in *Recanaten. coram Cervo dec. 120. §. 172. p. 9. recen.*, & in sua materia *sub rit. de servit. ad materiam usufructus.*

Contrarium probabilius dicebam ego scribens pro Francica (etiam in sensu veritatis per Iudicem quoque agitur) quoniam Statutum continuat possessionem defuncti in heredem venientem ex ejusdem defuncti iudicio, non autem in illum, qui ejusdem iudicium impugnat, atque iure fideicommissi, seu alio proprio independentem a defuncto veniat, ex deductis *decis. 176. §. 195. Orthobon. §. in Leodien. domini 10. Januarij 1650. coram Cervo*, ubi de filio impugnantem testamentum paternum ratione praeteritionis, ut ei tamquam venienti contra defuncti iudicium hoc Statutum non suffragetur.

Admittebam igitur conclusionem supra deductam per Scribentes in contrarium super manentio debita ei, qui esset haeres in proprietate ultimi defuncti, cui ultimus in solo usufructu successisset; Dicebam tamen id recte procedere, quando certum esset, quod ultimo defunctus aliud jus in bonis non haberet nisi illud simplicis, ac formalis usufructus, omnino contradistincti a proprietate, ideoque redolentis nudam servitute, quae supponit dominium, ac possessionem, nedum civilem, sed etiam naturalem penes proprietarium, quadam nuda detentatione facti remanente penes usufructuarium, qui transmittere non potest in ejus heredem possessionem, quam non habebat, ut in proposito hujus Statuti continuativi substitui in alia *Forolivien. donationis pro fororibus de Numajis cum Pontiorolis sub rit. de donationibus in supplemento*, quod scilicet haeres donatoris juvari non possit contra donatarium hujus Statuti beneficio in bonis donatis in vita, cum translatione possessionis mediante clausula constituti, ac reservatione usufructus, quoniam ita defunctus non possidebat, atque donatarius, contra ipsum, quamvis viventem obtinere deberet manentionem, ideoque non potest plus operari fictio, quam veritas; Nisi ageretur de vitio intrinseco ipsius donationis, quod influeret in ipsas clausulas tanquam accessorias, super quibus dubietas cadat, an intrent, ac suffragentur, nec ne, ut pluries advertitur *sub rit. de iudicis*, ubi de his interdictis possessorijs.

Negabam verò dicta conclusionis, seu theoricæ applicationem ad factum, ex deficiente praesupposito existentiae proprietatis penes filios primi matrimonij, adeo ut parens binubus habere dicatur eam nudam facti detentationem, quam importat ille formalis usufructus, qui mere personalem servitute redolet; Tum quia, vel certum ut infra, vel saltem nimium dubium, ac disputabile erat in ordinario iudicio petitorij decidendum, an dispositio textus in *l. femine* intraret, necne, stante Statuto, ideoque erat praesupponere id, quod principaliter disputabatur.

Tum etiam quia, licet in iure dicatur, ut parens binubus huiusmodi bonorum proprietatem filiis primi matrimonij reservare teneatur, ipseque solo usufructu contentus existat, attamen iste est modus

loquendi, spectato effectu, eo modo, quo pronuntio loquendi dicitur usufructuarius haeres gravatus tenus; Ac etiam dicitur mulier in lucris dotibus cum similibus, cuius sit usufructus causam redolens tam deminutim, quam possessionem sub obligatione restituendi, seu reservandi filijs per quamdam speciem fideicommissi eventuali a lege inducti, ideoque dicitur dominus cum vero dominio, eventuali tamen resolutioni subiecto, dum possunt alii filij praemori, ipseque obtinere bona pleno iure, non ex nova allegatione, sed ex continuatione tanquam per remotionem obstaculi dum ut pluries in alijs advertitur praeterim *infra disc. 34.* ita dicitur successio necessaria favore filiorum, qui super sint de tempore mortis patris binubi; Ac etiam quia receptum est ex clara ejusdem textus dispositione, ut ipse parens possit inter ipsosmet filios gratificari, unum praecipiendo, & alios excludendo; Et consequenter cum in certum sit, aut ipsi filij supervivere debeant, & quatenus supervivant, quis nam eorum hanc proprietatem obtinentur, implicat, quod interim penes eos esse possint dominium, ac possessio proprietatis; Ac etiam quia ut alibi hoc eodem titulo advertitur, si ita esset, sequeretur, quod vivente etiam parente, possent filij hanc proprietatem alienare, sive illa per eorum creditorum exequi, ac subhastari possent, ut etiam ponderatur in proposito *lucorum sub rit. de dote in Romana de Sportis disc. 140.* ideoque verius videtur, ut id remaneat in terminis spei, ac necessitatis successione eventuales, ad instar vocati ad fideicommissum, vel ad feudum, seu emphyteusium ex pacto, & providentia, cum similibus.

Quo verò ad alteram inspectionem iustitiae in meritis negotij principalis; Quaesitio est inter DD., an Statuto deferente parenti successione filij, alio quo pinguiori, ac speciali modo, ultra id quod iura commune deserit, ita censetur derogatum dictae dispositioni textus in *l. feminae de iur. iur.* cum concordantibus; Vel potius ad ejus limites intelligendum veniat, summa remanente obligatione conservandi proprietatem filijs primi matrimonij, in hoc autem variae habentur opiniones, dum partes aliorum contra parentem subintinent *Salycet.* (qui bene loquitur) in *d. l. feminae §. illud*; quem refert, & sequitur *Dec. cons. 87. num. 9. §. cons. 396.* E converso autem, partes parentis plenè alijs relictis substituit *Burser. cons. 12. num. 15. cum seqq.* ubi septem fundamenta deducit.

Assumpta verò non fuit formalis dispositio huius quaestionis, in solo puncto iuris, ac in abstracto, ita inherendo commendabili Curiae stylo abhorrenti superfluas evagationes, ac strictè immorantur super casu, seu puncto praeciso, qui disputatur, dum Statutum descendit ad hanc speciem, atque considerat casum transitus parentis ad secunda vota, ideoque punctus erat super huius Statuti intelligentia; Credebam tamen quod in dicta quaestione generali, seu in abstracto, probabilior esset prima opinio *Salyceti*, & *Decij*, quodque motiva *Burser.* essent parum solida, quamvis adhuc occasio non praebuerit id formiter disputare, sed quod secundum eundem esset in isto casu.

Statutum siquidem dicta *Rubr. 32. §. 4.* incipit *Si verò praedicti descendentes* considerat casum patris, vel alterius ascendentis masculi succedentis filio, & transeuntis ad secunda vota, eumque gravat, ad reservandam proprietatem fratribus tantum, non autem sororibus, non solum quia agendo de fratribus adjicit taxativam, *suntam*, sed etiam quia

De L. U. C.  
de  
Testamentis  
et  
ceteris  
q. v. i.  
9

adiciantur alia verba negativa fororum ibi, Non autem fororibus.

Replicabant Scribentes in contrarium, id recte procedere, ubi ex primo matrimonio superessent filij masculi, qui ita praelative ad foeminas à Statuto vocantur, non autem eis non extantibus, cum tunc tanquam in casu omisso subintret, dispositio iuris communis; Verum replicatio tollebat; Tum quia idem Statutum supponit non existentiam masculorum, quodque casus successione contigerit in alia foemina, dum utitur utroque genere masculino, & foeminino ibi, non autem fororibus defuncti, vel defuncta, qui casus contingere non poterat nisi cum praesupposito non existentia masculorum, quibus extantibus, nulla est foeminarum successio, istudque motivum nimium captivavit intellectum Iudicis; Tum etiam ( & iudicio meo clarius) ex altero Statuto Rubr. 34. ubi agendo de matre binuba succedente alicui ex filijs, mandatur eadem reservatio proprietatis, specificato ordine favore masculorum quatenus adfuit, sin minus favore foeminarum, deindeque agendo de patre, mandat servari Rubr. 32.; Ista etenim discretiva clarè tollere videtur motivum casus omissi, dum statuente ad id cogitarunt, atque ubi voluerunt, dixerunt, ergo noluerunt ubi non dixerunt.

Ponderando probabilem differentiae rationem, quoniam poenae secundo nubentium litteraliter impositae sunt mulieribus, non autem viris, ideoque est sub questione, an quod de matre dicitur, locum habeat in patre, atque negativam subfinit Facchin. lib. 3. controv. cap. 64. Et quamvis in Rota, & Curia recepta sit opinio, ut etiam patrem comprehendat, ut infra disc. 33., & in alijs; Attamen negari non potest id esse in questione, quae praesertim dubia erat de tempore Statuti, ideoque statuente quamdam mediam viam eligendo, ita magis benigne cum viro, quam cum muliere agere voluerunt, illum in uno, & non in altero casu gravando; Et sic quod generaliter, ac in abstracto probabilis esset opinio Salyceti. sed quod in casu istius Statuti verius esset contrarium.

## FIRMANA

S U C C E S S I O N I S

P R O

V I N C E N T I O , E T A L I I S

D E M A N C I N I S

C U M

F R A T R I B U S U T E R N I S E X P R I M O

M A T R I M O N I O .

Responsum pro veritate.

De Statuto Firmano prohibente matrimonia cum forensibus, an attendendum sit in successione matris binubae, quae unum virum habuit, civem, & alterum forenses; Et an filij ex viro forensi procreati, ei succedant in bonis existentibus in territorio.

- 1 **F**acti series.
- 2 **Q**ualem confirmationem habeat hoc Statutum.
- 3 **C**ivitates subditae Status Ecclesiastici non continent Statuta.
- 4 **S**tatutum inhabilitans forenses est favorabile.
- 5 **I**n quibus sufficit confirmatio in forma communi.
- 6 **D**eclaratur, & de differentia inter Statuta exclusivae foeminarum, & illa forensium.
- 7 **D**e invalidis Statutis prohibentibus, vel restringentibus matrimony libertatem.
- 8 **Q**uando lex laicalis in materia matrimony minus opponit.
- 9 **Q**uod conceditur privatis, conceditur statutis.
- 10 **A**liud est poena, aliud autem conditio seu qualitas.
- 11 **L**ex positiva potest tollere successionem, vel legittimam in totum.
- 12 **D**e prohibitione dandi fenda in dotem.
- 13 **D**e impediri libertate matrimony per legem laicalem.
- 14 **D**e eadem conclusione, de quibus num. 4.

## DISCURSUS. XXV.

**C**laudia, primis nuptijs cum Alexandro forensi, posterioribus autem cum Evandro civem contractis, eaque decedente ex utroque matrimonio relictis filijs, inter istos orta est quaestio intestatae successione in bonis in territorio Firmano existentibus, controversiae causam praebente eiusdem Civitatis Statuto lib. 4. rubr. 88. prohibente mulieribus matrimonia contrahere cum forensibus sub poenae amissionis bonorum illi Communi applicandorum, ac etiam forenses ad intestatam, vel testatam, successionem inhabilitante; Istius enim Statuti vigore, filij secundi matrimonij praetendebant, quod eis tantum in maternis bonis successio debita esset, exclusivae fratribus uterinis ex primo matrimonio susceptis tanquam forensibus; Quare desuper pro veritate ex parte excludere volentium consultis.

Contra eos pro aequali omnium successione respondendum censui, ex potissimo fundamento inefficaciae Statuti utpote in hoc non habentis (ut in facti norma supponebatur) puram, ac plenam confirmationem Apostolicam in forma specifica, dum confirmationes Eugenij IV., Pauli IV., & Sixti V. impressae initio voluminis eorundem Statutorum, praeservativam libertatis ecclesiasticae, aliasque clausulas continent, denotantes non in omnibus intentionis fuisse confirmandi huiusmodi Statuta probabiliter edita de tempore, quo, Sede Apostolica in Gallia existente, seu alias temporum conditione exigente, illa Civitas quamdam libertatis imaginem habere videbatur, dum (ut alibi pluries advertitur, etiam iuris communis dispositione attentata; multo vero magis in Statu Ecclesiastico per Aegydam Constitutionem per Summos Pontifices Sixtum IV., & Paulum III. confirmatam, atque ad universum Statum Ecclesiasticum extensam, subditis Civitatibus prohibitum est condere Statuta sine Apostolica licentia, vel confirmatione; Ubi vero ista in forma communi existat, non suffragatur in ijs, quae sint contra jus, ut generaliter apud Buratt. decis. 6. & 129. Gregor. decis. 267., & in alijs pluries; & in individuo huiusmodi Statutorum forenses inhabilitantium Grat. disp. 2. 45. nu. 37. cum seqq.

Quamvis